5

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
SISTENS

FEBRIUM PUTRIDARUM DIFFERENTIAS

QVAM
SVMMO FAVENTE NVMINE
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO PRINCIPE
ET DOMINO
D O M I N O
G E O R G I O III.
MAGNAE BRITTANNIAE, FRANCIAE, ET
HIBERNIAE REGE. REL.
EX AUCTORITATE ET CONSENSU INCLYTI MEDICORUM
IN ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA ORDINIS
SUB PRAESIDIO
VIRI ILLUSTRIS ATQUE EXPERIENTISSIMI
PHILIPPI GEORGII SCHROEDER
PHILOS. ET MEDIC. DOCTORIS, HUIUSQUE PROF. P. O. ET ARCHIATRI REGII
PRO GRADU DOCTORIS
SUMMISQUE IN ARTE SALUTARI HONORIBUS
LEGITIME IMPETRANDIS
DIE XIII. AUGUSTI A. R. S. MDCCLXVIII.
PUBLICE H. L. Q. S. DEFENDET

AUCTOR
AUGUSTUS EBERHARDUS BRANDE
HANNOVERANUS.

GOTTINGAE
EX OFFICINA SCHULZIANA, cur. F. A. ROSENBUSCH.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

DIFFERENTIIS FEBRIUM PUTRIDARUM.

PROOEMIUM.

Febrium putridarum nomen ut pervulgatum eſt & frequentioris apud medicos, non recentiores modo noſtræque ætatis, ſed etiam apud antiquiores, uſus; ita & attentus quisque horum ſcrutator varios diſtinctivos facile reperiet hujus generis morborum characteres, in quibus optimi conveniunt ſcriptores.

Etſi quidem Hippocrates nullum peculiare febrium genus putridarum nomine diſtinxerit, attamen ad putridæ humorum corruptelæ vim in producendis febribus quoque reſpexit. Sub τύφȣ enim nomine febrem, putridæ cuidam recentiorum ſimillimam, comprehendere videtur, cum de illius cauſis & ſymptomatibus ſequentem in modum loquitur (*a*): *Invadit æſtatis tempore cum canis ſydus oritur*, *bile per corpus agitata. Statim igitur eum febres vehementes corripiunt*, *& gravis ardor*, *& cum gravitate imbecillitas*, *crurumque ac manuum impotentia quæ nullum ei uſum præſtant; venter perturbatur & quæ ex eo dimittuntur graviter olent*, *vehementiaque tormina accedunt &c.* Hæc autem ſi cum febrium quarundam putridarum ſymptomatibus comparueris, invenies ea cum his ferme convenientia. Patet autem ex curationis methodo quoque ſimilitudo inter hunc typhum & febres illas putridas. Nam abſtinentiam a balneis & cibo, ſorbitiones tenues & frigidas, vinum, aliaque commendat, ad tollendam hujusmodi febrem putridam potiſſimum apta. Dicit etiam alium typhum gigni, cum bilis putrefacta admixta fuerit ſanguini (*b*); iterumque alium, cum corporis humidum putrefactum & plus æquo reſiccatum fuerit (*c*).

Sed clarius multo tradidit febrium putridarum expoſitionem Galenus; nam non ſolum humorum putrefactionem inter modos recenſet, quibus febriles diſpoſitiones oriantur (*d*), verum etiam quænam febres hac ratione

a) *De internis Affectionibus edit.* Lind. T. II. p. 246.
b) *Ibid.* p. 249.
c) *Ibid.* p. 252.
d) *De different. febrium.* L. I. c. III.

ratione excitentur, & quomodo hæ inter ſe differant, ex inſtituto definire contendit (*e*). Ad præſtantiores quoque contemplationes illam refert, qua disquiritur, num &, quemadmodum ex utraque bile & pituita fiant quædam febrium ſpecies, e ſanguine putrefacto febres accidere ſoleant (*f*). Pariter alibi (*g*), febres Synochos vel continentes in illas dividit quæ putredinis ſtipatæ ſunt notis & quæ his carent, pauloque poſt priorum febrium συνόχων genus ſic deſcribit, quod ibi *in omnibus vaſis, & potiſſimum maximis, ſucci æquabiliter putreſcant.* Paſſim in Operibus plura de febribus putridis profert. TRALLIANUS peculiare febrium genus ſub putridarum nomine pertractat, notasque illarum præcipuas ſtatuit nullum rigorem aut horrorem per vices redeuntem, qualitatem rodentem per extimas partes magis perceptibilem, pulſuum ſyſtolen citatiorem & inæqualem, & urinarum cruditatem (*h*). AETIUS ubi de febrium agit diviſione (*i*), in ſpiritibus ephemeram, in humoribus febrem putridam, in corpore cordis hecticam accendi aſſerit; & dein iterum tria ſumma conſtituit febrium genera, ephemeram nimirum, putridam & hecticam, & peculiaribus etiam in capitibus (*k*), putridas febres pertractat. HEURNIUS de febre putrida ut ab aliis diſtincta loquitur, & illas dividit in perpetuas vel nunquam remittentes & in eas quæ interdum vehementiam ſuam remit-

e) *Ejuſd. tractat. L. II. c. I. & II.*
f) *Ejuſd. Libri c. IX.*
g) *Meth. med. L. IX. C. II. & III.*
h) *In Opp. L. XII. C. II.*
i) *Tetrab. II. Serm. I. C. 58.*
k) *C. 74. & ſqq.*

mittunt (*l*). SENNERTUS febrem putridam dicit eſſe febrem, a vaporibus calidis e putredine excitatis, & cor atque hinc totum corpus præter naturam calefacientibus ortum habentem (*m*). Statuit FORESTUS etiam ſingulare genus febrium ex putredine (*n*). LOMMIUS binas diſtinxit febrium putridarum ſpecies continentem ſcil. & continuam putridam (*o*).

Recentiſſimis autem auctoribus hancce placere denominationem ſcripta ipſorum ſatis docent. BOERHAVIUS de putridis ut peculiari febrium genere agit, quod Synochum putridam vocat, atque hancce cauſſis inflammatione ſimplici majoribus, viſcerum obſtructioni, cutis oppilationi, & capillarium fere omnium, acrimoniæ vero acutiori & ſæpe prorſus ſingulari, originem debere docet (*p*). Quod FREIND peculiare febrium putridarum genus ſtatuerit, ex ipſius Commentariis de febribus ejusque de purgantibus in ſecunda variolarum febre adhibendis epiſtola, luculenter apparet. MEAD omnes quæ corpus invadere poſſunt febres in ſimplices, putridas, & peſtilentiales dividit (*q*). Ill. BOERHAVII Commentator febris putridae nomen ſibi placere in commentario ſuper loco Boerhavii modo citato oſtendit (*r*). De HAEN febris putridæ nomine ſæpius

l) *Opp.* Tom. II. C. X.
m) *Opp.* Tom. IV. Lib. 2. Cap. I.
n) *Paſſim in Operibus.*
o) *Obſervat. medicinal.* L. I. p. 3 & 5.
p) *Aphoriſm.* §. 730 *ſqq.*
q) *Opp. edit. Edinburgh.* Tom. II. p. 110.
r) *Commentarior.* Tom. II. §. 730 ſqq.

pius utitur (*s*). Huxham (*t*), Wintringham (*v*), Pringle (*w*), Tissot (*x*), Home (*y*), Monro (*z*), omnes frequente vocis hujus uſu, quod applaudant ipſi, ſatis clare docent. Sed hæc mihi ſatis ſuperque ſufficere videntur ad demonſtrandum, quod febris putridæ denominatio apud optimos omnis fere ætatis auctores uſu recepta ſit.

Etſi vero tot magni & ipſo rerum uſu ſubactiſſimi viri multum ſtudii & operæ in dilucidanda hujus febrium generis indole navaverint; facillime tamen cuivis æquo patebit veri æſtimatori, quantum ipſorum ſententiis inſit, etiam apud recentiſſimos auctores, quoad magni momenti conditiones, divortii, quo hæſitans & anceps cujusvis lectoris animus reddi facile poſſit. Quare, cum verior de his febribus doctrina, ob illarum & frequentiam & ſummum cum iis maximam partem conjunctum vitæ diſcrimen, & judicii de ipſarum diverſiſſima natura & exitu difficultatem, tanti omnino ſit ponderis, ut ſollicitam omnium medentium disquiſitionem, proprios in uſus poſtulet; non arbitror me, ex lege academica ſpecimen inaugurale ſcripturum, oleum plane

s) *In Theſibus de febrium diviſione præcipue, & in ratione medec. paſſim.*
t) Conf. *Eſſay on Fevers & Obſervationes de aere & morbis epidemic.*
u) *Paſſim in Opp.*
w) Conf. *Obſervations on the Diſeaſes of the army.*
x) *In Avis au peuple &c.*
y) Conf. *Principia medicinæ.*
z) *Account of the Diſeaſes which were moſt frequent in the Brittiſch Military Hoſpitals.*

plane omne & operam perditurum fore, ſi, ſuadente Præſide Illuſtri, Præceptore & Fautore æternum colendo, quæ vel ex optimorum Præceptorum inſtitutione, vel aliunde, aliquali etiam propria obſervatione, certiora de putridarum febrium indole ac differentiis apparuerint, brevi hac tractatione expoſuero.

§. I.

Cum autem de febribus putridis ſcripturus ſim, poſtulari mihi videtur, ut ideam putredinis generalem pauciſſimis primum verbis exponam, adjectis nonnullis de ipſius cauſis, ſignis atque effectibus, præcipue in corpore animali. Optimos autem pervolvens hac de re autores, haud exiguum quidem inter eos reperio circa putredinis definitionem diſſenſum, cum unus illam pro fermentationis habeat ſpecie, altero id ex toto negante. Ita BOERHAVIUS putredinem dicit *motum inteſtinum qui pro effectu dat olea putrida foetidosque alcalinos ſales* (*a*); illam autem a fermentatione diſtinguit, ad cujus ſcil. eſſentiam requirit ſpiritus ardentis vel acidi productionem. WALLERIUS autem putredinem definit per *ſpeciem fermentationis, quæ in corporibus mortuis in primis ſucculentis & aquoſis, mediante calore & aere excitatur, unde principia eorundem conſtitutiva mobilia primum in eam transponuntur connexionem, qua odor producitur foetidus, deinde vero ſenſim plene ſeparantur, relicta portiuncula terreſtri immobili* (*b*), GILBERT putredinem illum dicit corporis ſtatum *quo ſolidæ*

a) Conf. *Elementa Chemiæ*, *edit. Lond.* 4. T. II. p. 67.

b) Conf. *Elementor. Chemiæ phyſic. Part. Imae* p. 385.

lidæ fluidæque partes ex nexu ſuo deturbatæ foetorem contrahunt (*c*). Sed ſufficiant hæc ad demonſtrandum, quantum inter ſe discrepent & conveniant putredinis a variis autoribus datæ definitiones. Mihi quidem putredo ea præſertim motus inteſtini conditione declarari videtur, qua partes corporis ad ultimas usque disſolvuntur, atque ita mutantur, ut odor foetidus, ſaporque alienus penetrantior, & color plerumque profundior, excitentur, neque vinoſa nec acida indoles liquidæ parti concilietur. Præcipuæ autem generales putredinis cauſæ ſunt. 1. Atmoſphæra calida & humida. In eo omnes ferme conſentiunt autores aerem calidum & ſimul humiditate refertum præcipuam eſſe putredinis cauſam. BOERHAVIUS affirmat corporum veram putrefactionem vix alia cauſa magis promoveri ac aere calido & ſimul humido (*d*). Ill. PRINGLE quoque aera calidum & humidum ut præcipuum incuſat putredinis fontem (*e*). Aer humidus & frigidus forte, propter relaxationem, quam corporibus inducit, putredinem etiam accelerat, at in minori procul omni dubio gradu. 2. Effluvia putrida. Maxime autem probabile eſt haſce exhalationes fermenti modo in alia corpora agere, quam quoque ſententiam experimentum ab Ill. PRINGLE inſtitutum præclare confirmat. Diviſit nimirum recentis ovi vitellum in duas partes æquales, & has, aqua dilutas, æquali expoſuit calori, uni parti por-

c) *Diſſertat. de putredine in corpore animali, Lipſiæ 1753. habitae §. II.*

d) *In Elem. Chemiæ* Tom. I. p. 183.

e) *Paſſim in Obſervations on the Diſeaſes of an army.*

portiunculam iam putreſcentis vitelli alius ovi admiſcuit, alteram puram reliquit, & illam ocyus multo invenit putreſcentem cui fermentum hoc addiderat (*f*). Hinc etiam derivari forte poterit ratio, cur omnia in aere clauſo facilius putreſcant ac in libero, in priori enim caſu retinentur vapores putridi & reliqui accelerant putrefactionem, in poſteriori autem per aerem ambientem magis diſſipantur, & motu ejus fugantur. Sunt hæ cauſæ putredinis generales. Effectus autem in genere & ſigna ipſius ex data definitione fere fluunt. Sunt quidem ſequentes. α) Omnia vincula rumpit & humores antea coagulabiles in tabum nunc difficilius coagulabilem diſſolvit. β) Aerem antea fixum expedit. γ) Mutat colorem rerum actu putreſcentium & omnium odorem in fœtorem convertit. δ) Oleoſa reddit rancida, fluidiora & foetida. Optimi fere omnes in eo olim conveniebant auctores quod ſal volatile alcalicum a putredine produceretur. Sufficiat STAHLIUM (*g*), & BOERHAVIUM (*h*), allegaſſe. Ill. autem PRINGLE experimentis ſuis circa hanc rem inſtitutis, optime demonſtravit, nullum, vel maxime ſaltem latentem ſalem alcalinum in plurimis ſubſtantiis per putredinem gigni, vel ejusmodi certe ſalia ad putredinis eſſentiam non pertinere, nec creſcente ea augeri, & ſolam forſan urinam ſal volatile putredine exhibere (*i*); & hinc error iſte forte ortum duxit. Generaliora autem præſentis putredinis

f) Conf. *Appendix tho the Obſ. on Army Diſeaſes Paper III. Exper. 18.*

g) Conf. *ejus Fundamenta Chemiæ.*

h) *In Elementis Chemiæ.*

(i) Vid. *Appendix to the Obſervations on Army Diſeaſes.*

nis ſunt ſigna, coloris nativi mutatio, foetor, ſolidorum major laxitas, aucta fluidorum tenuitas, nonnunquam & manifeſte auctus calor.

§. II.

Operæ autem pretium erit in cauſas, ſigna & effectus putredinis in corpore animali paulo curatius inquirere, cum hæc thema noſtrum propius ſpectent. Generales putredinis cauſæ ad corpus animale applicatæ, eundem & ibi edunt effectum. Humidus enim aer ſolidorum, propter laxitatem quam iis ex abſorpto aquoſo conciliat, infringit robur: minuitur ita horum in fluida contenta actio, quæ, cum calore ſimul acriora fiant, his maxime ad putredinem diſponuntur. Experientia quoque huic theoriæ annuit; ſolent enim putridi morbi in tali aeris intemperie præcipue graſſari, cuius rei teſtes Ill. PRINGLE (*k*), & HUXHAM (*l*), ſolum allego. Vix opus eſt ut dicam putrida effluvia ſeptica vi in corpus etiam animale agere. Cum enim fermenti inſtar operari videantur, magnaque copia per pulmones, forte etiam per inhalantia cutis vaſa hauriantur, noxia ſua vi humores ut inficiant neceſſe omnino eſt. Frequentes morborum putridorum ex effluviis putridis origines hoc ulterius confirmant. Aſſentit quoque huic de fermento exhalationum putridarum doctrinæ Ill. PRINGLE (*m*) & notatu digniſſimum ſimul narrat

k) Vide *Obſervations on Army Diſeaſes.*

l) *Paſſim in obſervat. de aere & morbis epidemicis, præcipue in Prolegom.* p. 17.

m) *Obſervat. on the Diſeaſes of the Army* p. 264 ſqq.

narrat caſum, ortæ ex vapore ſanguinis putreſcentis dysenteriæ. Omnium autem peſſima ſunt illa effluvia quæ ex ſubſtantiis animalibus putreſcentibus per aerem diſperguntur, ſic ut MEAD (*n*) credat, peſtilentiam veram ortum inde in calidis regionibus duxiſſe. Summa enim ibi tempeſtatis intemperies, ſummum iis conciliat putredinis gradum. Speciales autem, quæ putredinem in corpore animali ciere valent, cauſæ ſunt: 1) Putredo aliunde nata & in corpus recepta (*o*), ita victus putreſcens morbis putridæ indolis anſam facile præbet. Videtur autem hæc etiam, ut fermentum in humorum maſſam agere. 2) Motus muſcularis nimium auctus & febris (*p*). Binæ hæ cauſæ eodem agunt modo. Ab aucto enim calore & motu, humores redduntur acriores, & ad putredinem proniores. 3) Abuſus victus animalis (*q*). Partes animalium tendunt in fermentationem putreſcentem, vegetabiles in aceſcentem; in juſta ergo harum proportione ſalus. Ubi autem mere animalis fuerit diæta, corporis humores in putredinem tendere facit, magis, ſi potus accedat mere aquoſus. Harum cauſarum creſcit vis, ubi debilia fuerint viſcera digeſtioni inſervientia. 4) Excernendorum retentio (*r*). Huc pertinet tranſpirationis, urinæ, & alvi obſtructio. Materiam perſpirabilem extra corpus facile putreſcere, innumera fere triſtiaque demonſtrant exempla eorum qui

n) Conf. *Tractat. de Peſte.*

o) Conf. PRINGLE *Obſerv. on the Diſeaſes of the Army* p. 4.

p) HUXHAM *on Fevers* p. 53 & 54. VAN SWIETEN *in Tom. I. Commentar.* p. 116.

q) HUXHAM *on Fevers* p. 56.

r) VAN SWIETEN *Tom. II. Commentar.* p. 139 ſqq.

qui, in anguſto loco ſine libero aeris recentis acceſſu occluſi, vi materiæ perſpirabilis putrefactæ in morbos putridos citoque lethales inciderunt: hinc autem veriſimillimum eſt, hujus materiæ in corpore præter naturam retentionem, vel putredinem humoribus inducere poſſe, vel eos ſaltem ad illam maxime diſponere. Urina autem ad abluendum ſales humorum acres deſtinata, ſic eorum putredinem arcet. Si ergo obſtruitur, ſalia hæc in corpore remanent, humorumque acrimoniam ac diſſolutionem augent. Hinc in Iſchuriis plus noxæ ex humorum acrimonia naſcitur, quam ex accumulati lotii copia *(s)*. Sin autem quæ per alvum excerni debebant retinentur, ipſorum putredo indies augetur & reliquos humores inficit. 5) Abuſus ſalium, præcipue volatilium. Salia volatilia iniuſta copia aſſumta putredinem ciere poſſe cel. HUXHAM inter alios aſſeruit *(t)*, & egregia comprobavit obſervatione *(u)*, etſi extra corpus putredini, ſecundum experimenta ab Ill. PRINGLE inſtituta *(w)*, reſiſtant. Haud tamen penitus negat Vir Ill. ſalia volatilia, quantitate nimia temporeve injuſto ingeſta, humorum putredinem accelerare, ſed hunc effectum ab aucto ex eorum uſu calore & fluidorum motu potius, quam ex vi ſeptica iis propria derivandum eſſe ſtatuit. Aliorum autem, etiam antiſepticorum ſalium abuſus, adjumento putredini eſſe poteſt. Ita obſervavit Ill. PRINGLE magnam ſalis culinaris copiam carnium putredi-

s) Conf. HUXHAMS *Eſſay on Fevers* p. 305.
t) *In eodem libro* p. 299.
u) *Eſſay on Fevers* p. 308.
w) Conf. *Appendix to the Obſ. on Army Diſeaſes.*

tredinem arcere, parvam illam accelerare (*x*). Ipſa immodice uſurpata acida tendentiam humorum in putredinem augere, nonnullis viſum eſt (*y*). Sales alcalinos fixos humores etiam colliqueſcere teſtatur cel. HUXHAM (*z*), & ſimul morbi putridi, ex diuturno uſu lithontriptici alcalici orti, narrat hiſtoriam. 6) Animi pathemata vehementiora. Agunt hæc nimirum in vias bilis, quibus ſpasmodice contractis, humor hicce commotus facile iterum in totam ſanguinis maſſam recipitur, illamque diſſolvit (*), præcipue cum bilis ab animi affectibus vehementioribus & frequentioribus acrior & quaſi corrupta fiat. 7) Inedia (**). Poſtulant leges oeconomiæ animalis frequentem humorum, per blandi chyli admixtionem, renovationem, qua neglecta, ſales & olea exaltantur, humores acerrimi fiunt, & ultimo univerſi putreſcunt. 8) Venena quædam vel ſanguini immediate admixta, vel in ventriculum recepta. Sic MEAD ex relatione PAULI HERMANNI refert, morſum ſerpentis Hæmorrhoi macaſſarici, univerſalem ex poris corporis ciere hæmorrhagiam (*a*), quæ vix ex alia cauſa, ac ex humorum diſſolutione putrida

x) *In Appendix to Obſ. on Army Diſeaſes Paper III. Exp.* 25.

y) Conf. cel. GILBERT *Diſſertat. de putred. animal.* §. XIII.

z) *Eſſay on Fevers* p. 48.

*) Conf. HUXHAM *Eſſay on Fevers* p. 113.

**) Conf. HUXHAM *in libr. citat.* p. 55. v. HALLER *Elementa Phyſiologiæ* Tom. VI. Lib. 19. Sect. II. §. 4. VAN SWIETEN *Commentar.* Tom. II. p. 42.

a) *Opp.* Tom. I. p. 20.

trida oriri poſſe videtur. Docet etiam aquam deſtillatam Lauroceraſi intus aſſumtam, humores vehementer reſolvere (*b*): & Ill. de HALLER venenum ſerpentis caudiſonæ humores citiſſime colliqueſcere & carnes flavo colore tingere narrat (*c*). 9) Abuſus medicamentorum mercurialium & terreorum, & aromatum. Mercurialium frequens, diuturnus & imprudens uſus ſanguinis craſin ex toto diſſolvit (*d*), eumque putridum reddit, quod vel peſſimo ſalivantium foetore ſatis comprobatur. Terreorum remediorum vim ſepticam experimentis demonſtravit Ill. PRINGLE (*e*). Hinc veriſimillimum quoque eſt ipſa, corpori ſine juſtis cautionibus applicata, putredinem ibi ciere, vel certe ad illam prædisponere poſſe. Aromatum abuſus, cum humores valde reddat acres, ad putredinis ſaltem pertinet adiumenta (*f*). Nimium acrium & aromaticarum herbarum uſum humores etiam corrumpere, docent Ill. BOERHAVE (*g*) & VAN SWIETEN (*h*). 10) Fomites ulceroſi, cancroſi &c. (*i*) vel ſecundinæ relictæ putreſcentes

b) *Opp.* Tom. I. p. 138.

c) Conf. *Element. Phyſiolog.* Tom. II. Lib. V. Sect. II. §. 29.

d) Conf. HUXHAM *Eſſay on Fevers* p. 46. v. HALLER *Elem. Phyſiol.* Tom. II. Lib. 5. Sect. II. §. 29.

e) *Appendix to the Obſerv. on Army Diſeaſes Pap. III. Exp. 23.* GILBERT *Diſſert. de putredine animali* §. IX.

f) Conf. GILBERT *Diſſert. de putredine animali* §. XIII.

g) *In Aphoriſm.* §. 76.

h) *In Commentar.* Tom. I. p. 114.

i) Conf. GAUBII *Inſtitut. Patholog.* §. 313.

tes & humorum maſſam inficientes. Effectus ſuos exerit putredo in ſolida, fluida & nervos. In ſolidis nimirum, præter effectus generales §. I. recenſitos, partium continentium imminuit cohæſionem, majoremque iis inducit mollitiem, unde præter modum aucta flexilitas. Erodit etiam ipſa. Humores corporis reddit acres, iuſto tenuiores & ad nutritionem ineptos, unde facile extra præſcriptos terminos vagantur & obſtructiones, exanthemata, gangrænas, aliaque vitia gignunt. Nervos ex acrimonia irritat, unde variæ ſyſtematis nervoſi turbæ. Speciali quadam vi quoque in fluidum nerveum agere videtur, quod ex variis illis ſymptomatibus nervoſis quæ putridos utplurimum concomitantur morbos, & ex ſola irritatione derivari nequeunt, probabile fit. Signa autem præſentis in corpore animali vivo putredinis, ſunt excretorum inſolitus foetor, ſolidorum laxitas, fluidorum tenuitas, magna virium ſyſtematis nervoſi proſtratio, &c. De his autem mox fuſius cum de diagnoſi morbi putridi loquar.

§. III.

Morbum autem dico putridum cum quo humorum implicata eſt putredo, majori minorive gradu. Characteres talius morbi quorum ope ab omni alio non putri diſtingui poteſt, ſunt: magna virium poſtratio, tanta ſæpe ut minimum etiam motum animi ſequantur deliquia. Animi vehemens dejectio. Pulſus juſto debilior. Humorum nimia tenuitas; unde faciles ſæpe & ſpontaneæ hæmorrhagiæ, ex locis inſuetis etiam provenientes. Maculæ figura & colore variæ, rubicundæ nimirum, fuſcæ, vel lividæ, quæ ex ſanguine diſſoluto

& in

& in celluloſam telam extravaſato oriuntur. Oculorum imminuta vivacitas. Lingua fuſca, livida, vel nigra. Spiritus & ſudor foetidus. Urina nonnunquam tenuis, minus pro ratione caloris tincta, utplurimum craſſa, turbida & mox foetens. Auctus & putridus alvi excretorum foetor & in lividum mutatus color. Sunt hæc præcipua ſigna morbi putridi in genere. Febris autem oritur putrida, ſi humores corporis ſic degeneraverunt, ut inepti fiant ad placidam per vaſa corporis circulationem (*k*). Notandum enim eſt plenariam humorum putredinem ad hujus febris eſſentiam non requiri, antequam hæc enim fit, mors utplurimum finem tragoediæ facit, propter partium ad vitam neceſſariarum deſtructionem. Quod tamen magna ſemper in his febribus adſit humorum ad putredinem proclivitas, facilis & velox excretorum, vel arte eductorum corruptio ſatis teſtatur. Signa autem ex quibus de febris putridæ præſentia per morbi initium & incrementum judicare licet, ſunt calor mordax, tactum lædens & omni momento quaſi adauctus, pulſus celerior & inordinatus, virium ſumma proſtratio cum animi dejectione, capitis dolor aliquis cum ſenſuum perturbatione, oculorum imminutus ſplendor, ſæpe cum rubore aliquo, ſic ut inflammati videantur; lingua in initio morbi ſubalbida, dein autem nigra & arida, faucibus ſimul & dentibus foeda ſorde tectis; anima foetida, ſapor aduerſus quaſi a rebus putridis, ſudores foetidi, & in ulteriori morbi progreſſu ſanguine nonnumquam tincti; cutis, in incremento morbi haud raro arida eſt, aliquando nimia eſt ad ſudores pronitas; urina varia, craſſa, turbi-

(*k*) Vid. VAN SWIETEN *in Tom. II. Commentar.* p. 420.

turbida, immo nigreſcens, interdum quoque pallidior, cruda, vel cum ſedimento fuligineo; dejectio foetidiſſima, ſubviridis, livida, interdum nigra & ſanguine tincta; maculæ rubicundæ vel lividæ, petechiæ, & ſi latiores fuerint vibices dictæ, non elevatæ, nec unquam forte criticæ; hæ poſt mortem interdum demum erumpunt (*l*); ſitis utplurimum moderata, hæmorrhagiæ ſpontaneæ, & facile ultra omnem modum vehementes, cruor minus cohærens & in ulteriori morbi progreſſu, omnino ſæpe diſſolutus, ſerum rubicundum ſanguinolentum; cruſta interdum quidem obductus eſt ſanguis, at tenui & infirma, transparente & ſæpe variegata. Tumere etiam ſolet in vehementiori morbo abdomen, ab aere in ejus cavitatem per putredinem expedito, quem ſtatum *meteorismum* nuncupare ſolent medici. Sunt hæc præcipua febris putridæ ſimpliciſſimæ, ab omni complicatione liberæ, ſymptomata, quæ etſi raro, attamen interdum occurrit. Pulchrum talius putridæ exemplum leges apud HUXHAM (*m*). Habes ibi egregiam febris putridæ, ſine malignitatis, ſine colluviei bilioſæ ſignis hiſtoriam. Tremores enim, tendinumque quorum facit mentionem ſubſultus, magnæ debilitati ex inanitione adſcribendi eſſe videntur, non autem latenti malignitati. Febris, quam ſub nomine putridæ contagioſæ deſcribit (*n*), putrida quoque eſt non bilioſa, at malignitatis quibusdam ſtipata ſymptomatibus. Febris illa putrida quæ ab Ill. PRINGLE carcerum ſeu noſocomiorum dicitur, etiam putrida non bilioſa eſt, at non ſine

l) Conf. PRINGLE *Obſervat. on Army Diſeaſes* p. 304.
m) *Eſſay on Fevers* p. 62 ſqq.
n) Conf. ejus *Obſervat. de aere & morb. epidem.* Tom. II. p. 82.

ſine omni (*o*), malignitate. Diſtinguitur ideo febris putrida ab inflammatoria, humorum degeneratione majori, pulſu inæquali, inordinato, minori, calore mordaci, excretorum foetore, ſordibus linguæ & oris, urinæ colore, ſanguinis diſſolutione, petechiis, inſigni laſſitudine & animi dejectione; a nervoſa autem, colore & conſiſtentia urinæ, ſignis putredinis & febre fortiori; a bilioſa, minori capitis affectione minorique nauſea & ventriculi perturbatione, lingua puriore, nigriore & aridiore, dejectionum colore & indole minus bilioſa, ſitis & inquietudinis minori gradu; calor etiam in putridis continuo quaſi creſcit, in bilioſis autem, licet permagnus ſæpe ſit, nihilominus per vices remittere ſolet.

§. IV.

Multi autem & præclari viri qui hac de re ſcripſerunt, ad hoc putridarum febrium a bilioſis aliisque diſcrimen non ſatis reſpexiſſe videntur, indeque forte quoad magnam partem ortum habet ingens illorum in methodis curationum diſſenſus. In eo autem præcipue errarunt multi, quod putridas febres cum bilioſis & malignis confundant, vel ipſas etiam ſemper pro vere malignis habeant. Oſtendam autem deinde quænam ſit inter febrem putridam & malignam differentia, quodque febris putrida exiſtere poſſit ſine malignitate & maligna ſine putredine; quod ſaltem malignitas ad febris putridæ eſſentiam non pertineat, etſi negare non poſſim quod plurimæ febres putridæ ſimul ſint malignæ. Putridam autem febrem a maligna non diſtinguit cel. Tralles: non

o) *Obſervations on the Diſeaſes of the Army* Part. III. C. 7. p. 297 ſqq.

non ſolum enim febres petechiales & caſtrenſes *malignis* adnumerat (*p*), cui generali tamen ſententiæ aſſentire nolim, ſed etiam ubi externam malignarum pingit faciem (*q*), veram dat febris *putridæ* deſcriptionem; magnam enim debilitatem, pulſum celerem, debilem & inæqualem, appetitum ciborum proſtratum, linguam ſcabram & aridam, petechias aliaque veræ putridæ ſigna, ut præſentis malignitatis indicia enumerat. Et ubi malignarum febrium theoriam theſibus illuſtrat, ſatis apparet illum ad febres putridas reſpexiſſe; febres enim malignas ex ſtimulo cauſticæ & putridæ indolis oriri dicit (*r*), ex quo miasmate hauſto virium ſubitam proſtrationem, villorum nerveorum irritationem, humorum ſtagnationes &c. derivat (*s*); & ex his effectibus miasmatis primariis, malignitatis ſymptomata antea enarrata ſequi docet (*t*): dein etiam, humorum reſolutionem putridam ultimum eſſe malignitatis effectum dicit (*u*). At in egregio illo de uſu opii libro ſequente loquitur modo, cum de febrium malignarum *miasmate* ſermo ſit: *Inſuper alcalicæ*, *ſepticæ & putridæ illud eſſe indolis*, *omnia phænomena morbi & medelæ*, *una cum extiſpiciis evincunt* (*w*). Quarum etiam febrium celeb. TISSOT, ſub *malignarum* nomine, deſcriptionem tradit,

p) Vid. *Virium quæ terreis remediis &c. adſcriptæ ſunt, examen rigoroſius*. C. XIX. p. 365 & 66.
q) *In eodem capite* §. IV. p. 376 ſqq.
r) *In eodem capite*. §. 7. ad II. p. 381 ſqq.
s) *In ejusdem capitis*. §. 12. ad 14. p. 387 ſqq.
t) Vid. *ejusd. capit.* § 15 & ſqq. p. 394 ſqq.
u) Conf. *Examen rigoroſ &c.* p. 398
w) Conf. *Uſus opii ſalubris & noxius*. Sect. II. p. 177.

dit (*x*), ſi cauſas, decurſum & ſymptomata allegata ſpectemus; veriſſimæ ſunt continentes putridæ GALENI, aptiſſime forte, noſtra ſententia, putridarum ſimplicium cognomine diſtinguendæ. *Putridas* febres idem præſtantiſſimus Auctor in præcedente optimi libri capite vocat, quæ a colluvie ſpontanea materiæ corruptæ, ex humorum circulantium maſſa ad primas vias delatæ dependent, quas ipſe quoque ſæpius bilioſas nominari ait. Atque hæ febres ejusdem utique ſunt indolis ac illæ, quas, ſub bilioſarum nomine, in eximio peculiari opuſculo (*y*), expoſuit; continuæ nempe remittentes & putridæ GALENI & LOMMII, ſub gaſtricis BALLONII & meſentericis BAGLIVI comprehenſæ. Aptiſſime forte cum PRINGLE, MONRO & pluribus bilioſæ dicuntur, ſed cum huic febrium generi putredinis characteres non perpetui ſint, ubi hoſce ſimul animadverteris, adjecto *putridarum* cognomine a ſimplicibus bilioſis commode diſtinguuntur. Cel. quoque DEGNER dyſenteriam, bilioſo contagioſam ſolum nuncupat, quam ſimul putridam fuiſſe nemo facile negabit, qui ſymptomata ab ipſo enarrata (*z*) perlegerit. Celeb. HUXHAM febris malignæ nomen pro ſynonymo febris putridæ habere videtur, dicit enim: *idem forte eſt an haſce febres, putridas, malignas, vel peſtilentiales dixeris* (*a*); & quo in capite has febres pertractavit, de bilioſis putridis aeque, ac de putridis ſimplicibus

x) Vid. *Avis au Peuple ſur ſa Santé* C. XVII. p. 272 ſqq.
y) *In Tractatu de febribus bilioſis.*
z) Conf. *Hiſtoriam Dyſent. bilioſo contagioſæ* §. XXIX. p. 16 ſqq.
a) Conf. *Eſſay on Fevers.* p. 100.

bus egit, minime tamen quoad curationis methodum diverſa hæc putridarum genera a ſe invicem diſtinguere neglexit. Illuſtr. etiam PRINGLE, qui omnium optime de febribus putridis egit, voce febris malignæ, ad indicandam putridam ſimplicem, ſæpius uſus eſt (*b*). Cel. quoque MONRO nullum diſcrimen inter febrem malignam & petechialem atque putridam ponere videtur (*c*).

§. V.

Neceſſarium autem mihi videtur, cum malignitatis ſæpius uſus ſim voce, paulo curatius perſcrutari quid ſibi velint auctores cum malignitate ſua, & quænam ejus idea mihi præ aliis maxime arrideat indicare. Etſi enim medicinam hoc termino commode carere poſſe arbitrer, etſi malignitatis nomen, ex SYDENHAMI opinione, magis infeſtum fuerit generi humano ipſa pulveris pyrii inventione, nihilominus tamen, cum uſus eiusdem apud omnes maxime invaluerit, aptamque deſignandis pluribus morborum phænomenis explicationem admittat, expulſionem eius temere quis meditaretur. Optimum ideo erit, varias primum proponere auctorum circa malignitatis definitionem ſententias, quæ quidem vehementer inter ſe discrepant, ac his dein accuratam & experientiæ conſentaneam ſuperaddere huius vocis definitionem, adiectis præcipuis malignitatis ſignis. Medicorum ille parens HIPPOCRATES ſub κακοηθείας nomine, per *malignitatem* verti ſolito, affectionem ex occultiori origine difficiliorem, ſæpius periculoſam, ideoque

b) *In Obſervations on the Diſeaſes of the Army.*

c) Vid. *Account of the Diſeaſes which were moſt frequent in the Brittiſch military Hoſpitals* C. I.

que ſemper quoad eventum ſuſpectam, & in febriles præcipue morbos ſubinde incidentem, intellexiſſe videtur. Et eius quidem indolis pleraque malignitatis indicia Hippocratica deprehendere licet, quæ ex latente cauſa perturbatas cum diſcrimine ſyſtematis nervoſi functiones eſſe docent. Ipſis etiam morbis nomen malignorum tribuit, in quibus graviores ejusmodi affectiones obſervantur; dicit nimirum: *In febre convulſio, manuumque ac pedum dolores* κακοήθες, *ſeu malignum quiddam denuntiant. Malignus quoque ex febre doloris impetus. Sed neque genuum dolor probari poteſt. Quin & ſurarum dolores quoque maligni ſunt, ac mentis emotio, tum vero præcipue ſi ſublime quid in urina innatet. Ex præcordiorum dolore obortæ febres malignæ ſunt &c.* (*d*). Vix aliunde autem ac ex ſyſtematis nervoſi perturbatione hæc repetes ſymptomata, modo periculi ſint nuntii; ſi enim rheumatici v. c. fuerint dolores, nemo facile hos ad malignitatis ſigna referet. Paulo aliter & latius terminum expoſuit GALENUS, qui κακοήθη νοσήματα, inquit, *vocamus eos morbos qui aegris periculum minantur, nec ſpem ſalutis adimunt* (*e*). Sed propius ad HIPPOCRATIS mentem accedit auctor libri definitionum medicarum inter Galenicos reperiundi, *malignum morbum* dicens *qui facultate quidem magnus eſt & difficilis, ſpecie tamen debilis, neque ad iudicationem ſtatuta habet tempora.* Qui autem Hippocraticam maxime reſti-

d) In *Coacis prænotionibus Nro. 30, 31. Paſſim aliis quoque in locis de iisdem ſymptomatibus ut malignis loquitur aliaque addit.*

e) In *Commentar. I. in Prorrhet.* HIPPOCRATIS.

reſtituit doctrinam, Anglorum ille magnus SYDENHAM, malignitatem in particulis calidiſſimis ac ſpirituoſiſſimis, humorum in humano corpore contentorum naturæ plus minusve adverſantibus, conſiſtere ac terminari aſſerit (*f*). BOERHAVE illos malignos dici vult morbos, qui vires ſubito deſtruunt (*g*). Celeb. TRALLES, malignitatem definit per *talem febrium conditionem phyſicam, quæ eam functionum vitalium depravationem, & a naturali integritate receſſionem ponit, ut hæ ceſſationi plenariæ ſint quam proximæ* (*h*). Ill. DE HAEN dicit *eos ſolummodo morbos malignitatis appellatione recte inſigniri, quos ſymptomata inſueta, aut longe ſolito graviora numeroſioraque comitantur; nullatenus vero illos, qui, acutine fuerint an peracuti, interni aut cutanei conſueto more ſua ſpatia decurrunt* (*i*). Audiamus etiam celeb. GAUBIUM de malignitate, qui eam *proprio ſenſu morbum notare dicit, qui inſidioſe mitis, ſub phænomenis non ominoſis aggreſſus, ex improviſo graviſſimis ſymptomatibus naturæ vires opprimit: alias & talem, qui præter morem ſuum inuſitata ſymptomata turbasque vehementiores quam quæ naturæ ſuæ convenire videantur excitat: denique & refractarios, qui expertorum quoque remediorum vires eludunt ac curatione vel magis exacerbantur* (*k*). Illuſtr. MORGAGNI malignitatem ſignificari

f) Conf. *Opp.* Tom. I. p. 154.

g) Vid. *Prælect. in inſtitution. med. cum notis* HALLERI T. VI. p. 92.

h) In *Exam. rigoroſ. virium &c.* C. XIX. §. VI. p. 380.

i) Vid. *Ration. medendi Ed. Lugd. Bat.* Tom. I. C. XXIII. p. 146. & T. III. C. I. & *Theſium de febr. divis. Div. VIII.* p. 130 ſqq.

k) Conf. *Inſtitution. patholog. medic.* §. 876.

ri dicit *cita maximaque virium proſtratione, quæ neque in prægreſſas evidentes cauſas, neque in nimiam rejici poſſit obruentemque ſanguinis copiam* (*l*). Celeb. ELLER malignitatis vocem *iſtam febris indolem denotare* dicit, *qua morbus febrilis vehemens per contagium propagari, & epidemice graſſari ſolet* (*m*). Vix unam autem, alteramve harum definitionum cum alia convenientem reperies. Empiricorum ignobilis turba omnem morbum malignum nuncupat quem tollere neſcit, infelicem curæ eventum non ſuæ ignorantiæ, ſed latenti malignitati adſcribens. Sed nemo facile diffitebitur, fieri vix poſſe ut quis unam generalem, omnibus peritiorum atque celebrium medicorum ſententiis accomodatam, tradat malignitatis morborum expoſitionem. Plerisque tamen is videtur eſſe animus, ut ſenſum vocis ab HIPPOCRATE aliisque veterum uſurpatum definiendo exprimant & applicando immitentur. Hac ipſa nobis etiam conſtituta norma, *malignam* exiſtimamus habendam eſſe aegrorum affectionem, quæ ſecundum experientiam cum vitæ conjuncta eſt diſcrimine, neque tamen, ex cauſis evidentioribus aeſtimata, talis eſſe apparet. Atque febris illa malignæ nomen merebitur, quam eiusmodi affectionibus diſtinctam obſervamus. E magnitudine ergo & raritate ſymptomatum, totiusque ex morbi periculo, minus apte malignitas febris diiudicabitur. Solet

l) *De Sedibus & cauſis morborum* Epiſt. 49. Art. 23.

m) Conf. *Obſervat. de cognoſc. & curand. morbis, præſert. acutis* Sect. VI. p. 112.

Qui & aliorum auctorum de malignitate ſententias ſcire cupit, adeat celeb. TRALLES *Examen rigoroſius virium &c.* C. XIX. §. V.

let autem ſyſtema nervoſum non ſine periculo laceſſitum & perturbatum eſſe, ubi ſymptomata febris, absque manifeſta cauſa, non ita reſpondent decurſus eiusdem temporibus, neque ſibi invicem, nec ſignis reliquis externis, ac in ordinariis minusque periculoſis fieri compertum eſt. Unde pervulgatum illud, aegrum in malignis aliquando inter pulſum urinamque bona mori. Malignitatem vero, ſecundum noſtram hancce definitionem, in febribus gradu maxime variare poſſe neminem facile latebit. Sed operæ pretium erit præcipua quædam breviter enarrare ſymptomata, quibus præſentibus maligna dici febris poteſt. Sunt autem, indoles mitis ipſius febris ex pulſu, urina & membrorum calore aeſtimata, ſi cum graviori virium proſtratione invaſerit, aliisque cum ſymptomatibus incedat, alias ex maiori febris vehementia oriundis; dorſi, colli & artuum, manuum præcipue & ſurarum, item præcordiorum dolores, ſine omni apparente cauſa oborti; deliria fere continua, vigiliæ diuturnæ aut ſopor, & capitis, præcipue occipitis gravativus, tenſivus preſſoriusve dolor, ſine plethoræ, congeſtionis ad caput, inflammationis & ſordium bilioſarum ſignis; ſitis nulla, etſi lingua arida ſit multusve aegrum teneat calor; magna inſenſibilitas, ſic ut de morbo, medico ceterum graviori viſo, vix conquerantur aegri. Facile eſt differentiam percipere, hanc inſenſibilitatem inter, illamque animi placiditatem, quam in vehementibus etiam morbis ſervare nonnullis conceſſum eſt. Immodeſtia etiam, aegrorum antea verecundorum, huc pertinet, & jactatio illorum frequens cum denudatione brachiorum crurumque, ſine multo calore, & ſpasmi varii atque

que convulſiones, latente horum omnium cauſa; item artuum & præcipue linguæ & labiorum tremor cum magna debilitate; notandum tamen hic eſt frigus febrile, turgentiam ſordium bilioſarum, debilitatemque a morbo graviori ſuperato cauſam nonnunquam eſſe tremoris, qualis tamen malignitatis ſignis adnumerari nequit; linguam extendendi impotentia impeditaque oratio absque omni apparente partium vitio oborta; audiendi difficultas, nulla tamen imminente criſi; hæc enim ubi inſtat, præcipue in febribus bilioſis, auditum ſæpius quoque bono cum omine impedit; tunc autem malignitatis indicium eſt ubi absque omni cauſa in debilibus aegris fit; oculi invitis aegris illacrymantes ſine omni viſibili irritamento, non ut in febribus catarrhalibus benignis ubi oculi etiam invitis aegris lacrymas fundunt; impedita, ſine omni faucium tumore aliave cauſa evidente, deglutitio, &c. Sunt hæc præcipua præſentis malignitatis indicia. Multis quidem inſignior virium animalium proſtratio fere primarium, & maxime ex his perpetuum eſſe, viſa eſt; attamen huic ſententiæ tum id adverſari exiſtimo, quod illa ſæpe bono cum vigore vitalium virium, atque tunc haud raro vix ullo cum periculo, conjuncta obſervetur; tum etiam, quod febres occurrant, Hippocratico ſenſu veriſſime malignæ, quibus, per initium & incrementi partem, ſingularis illa virium animalium proſtratio omnino deficiat. Hoc tamen facile concedo, virium animalium vigorem melioris eſſe in febribus notæ, ac ipſarum oppreſſionem & undecunque oriundum defectum. Intuitu harum tamen malignitatis notarum generatim obſervandum eſt, plerumque plures illarum ſimul & manifeſtiore modo

præſentes requiri, ut febris maligna dici poſſit, nihilo ſecius autem non omnes in omni febre maligna reperiri. Poterit tamen hic illa oriri quæſtio, an ullum detur febrium, propriis nominibus diſtingui ſolitarum, certum genus ſemper & ubique malignum? Præter phrenitidem forte & paraphrenitidem, rectius intellecta hac voce, & febrem lentam nervoſam Anglorum, pro meo quidem arbitrio, nullum. In his autem omnia ferme malignitatis ſymptomata adſunt (*n*). Quicunque autem modo enumerata malignitatis ſigna, cum ſymptomatibus febris putridæ §. III. poſitis comparaverit, magnum inter hæc facile reperiet diſcrimen; ad malignitatem ideo conſtituendam nulla requiritur humorum putredo, nec ad febrem putridam malignitas. Id tamen lubenter concedo, plurimas putridas febres malignas ſimul eſſe, i. e. malignitatis ſigna ſibi juncta habere, ut cuivis optimorum de febribus putridis auctorum luſtratori facile patebit.

§. VI.

Supra jam notavi, febres putridas a multis optimæ notæ auctoribus cum febribus bilioſis etiam confundi; ut hoc autem clarius eluceſcat, iuvabit accuratam exhibere febris bilioſæ ideam, eaque enumerare ſigna quibus ſordes bilioſæ in primis viis hærentes cognoſci, in quovis morbo queant; ut ex horum cum ſignis putredinis

n) Conf. BRENDEL *D. de phrenitide. Reſp.* cl. ELLENBERGER, & *eiuſdem D. de cognatione paraphrenit. & febrium malign. Reſp.* cl. BIEDERMANN; *etiam* ILLUSTR. PRAESIDIS & cl. FEIN *D. de indole & ſede phrenitid. & paraphrenit.* & HUXHAM *Diſſ. de febre lenta nervoſa.*

dinis collatione appareat, non omnem bilioſam febrem eſſe putridam, nec omnem putridam bilioſam. Febrem autem dico bilioſam, quæ cauſam habet bilem copia & qualitate peccantem, aliisque admixtis humoribus, ad primas vias confluentibus, vario modo & gradu alienatam. Signa, quibus peccans & abundans cognoſci poterit bilioſa talis colluvies, ſunt, amarus, nidoroſus vel peculiaris quidam, cujus indolem aegri verbis exprimere nequeunt, foedus ſapor; lingua muco, primum flaveſcente, dein flavo & ſpiſſiori obducta; ructus amari vel nidoroſi, halitusque ex ore ſanis ingratus & quodammodo foetens; anorexia, ſæpeque ſimul cibi, præcipue animalis faſtidium; ſenſus plenitudinis circa præcordia cum anxietate; interdum quoque vomitus bilioſi; penetrans & fortis, naturali moleſtior ſtercorum foetor & bilioſus color. Atque hæc ulterius confirmare ſolent ſomnus inquietus haud reficiens vel plane nullus, ſæpe etiam pavoribus & phantasmatibus vividioribus interruptus, capitis quoque dolor & gravitas &, ſi modo erigatur, facile accedens vertigo; præterea & ipſa deliria & aeſtus vehementior, quam ut plethoræ & ſanguinis motui reſpondere videatur. Præcipua hæc ſunt colluviei bilioſæ ſigna, qualia nonnunquam & extra febres, minori gradu licet obſervare. Febris autem bilioſa ſeſe manifeſtat ſordium modo enumeratis ſignis, exacerbationibus plerumque quotidianis, ſæpe etiam cum typo duplicis tertianæ, raro ſimplicis; pulſu forti & celeri, calore vehemente, minus mordaci tamen ac in putridæ indolis febribus, & in exacerbationibus multum aucto; delirio ſæpe aliquo, rarius continuo & periculoſo; urina ſpiſſa ruberrima, multa ſiti, diarrhoeis ſpon-

 taneis

ſaneis bilioſis &c. Patet ex his bilioſam febrem a putrida omnino eſſe diverſam, licet ſæpius cum ipſa, vel etiam cum febre inflammatoria ſit complicata (*). At exempla aliqua febrium bilioſarum ſine putredine adducere non ſupervacaneum prorſus fore arbitror, quorum plurima facile quidem reperiuntur, licet hoc non ſemper nomine autoribus veniant, ſed variis aliis etiam gaudeant appellationibus, multasque ex iis febribus quæ bilioſæ audiunt ad putridas pertinere oſtenderim. HIPPOCRATES veram iam deſcripſit ſimplicemque bilioſam, ſequentibus verbis (*o*). *Si quis bile vexetur febris eum quotidie prehendit & dimittit, potiſſimum vero medio die detinet, os amarum eſt, & cum ſine cibo fuerit offenditur, ubi vero comederit, ſtrangulatur, & paucis cibis impletur, eos execratur & mulis vomitionibus tentatur, ad lumbos & crura gravitas decumbit & multum dormit &c.* FRID. HOFFMANN ſub febris cholericæ nomine veram bilioſam ſine putredine deſcribit (*p*). Sub febrium continuarum remittentium nomine, plures huius generis epidemias deſcripſit cel. CLIFTON WINTRINGHAM (*q*), etſi quædam ad inflammatoriam, aliæ ad putridam indolem magis minusve inclinaverint. Ill. PRINGLE veram deſcribit, ſimplicem, absque putredine bilioſam, quam quoque bilioſam, & remittentem vel intermittentem caſtrorum dicit (*r*). Sed ſufficiant

*) Conferri de his meretur Diſſ. Illuſtr. PRAESIDIS *mei* & cl. FRID. LUD. MAY, *de amplitudine generis febrium bilioſarum.*

o) *In Lib. de morbis II. Cap. 36. ed. Lind.*

p) *Med. rat. ſyſt. T. IV. P. I. Sect. II. Cap. II. theſ. path.* §. *VI.*

q) *In Comment. noſolog. paſſim.*

r) *Obſervat. on the Diſeaſes of the Army.* C. IV. p. 175 ſqq.

ficiant allata teſtimonia ad comprobandam exiſtentiam febris bilioſæ ſimplicis.

§. VII.

Iam autem, præmiſſis hiſce generalioribus, ipſas nunc aggredior harum febrium differentias. Dividi autem poterunt. 1. In *ſimplices*, *&* *cum aliis morboſis affectionibus complicatas.* De ſimplicium indole iam antea §. III. locutus ſum, ſupereſt tamen ut pauca de harum cauſis frequentioribus addam. Oriuntur hæ potiſſimum ex partium animalium actu putreſcentium exhalationibus, hinc in carceribus, navibus, caſtris & noſocomiis frequentius ac aliis in locis reperiri ſolent, partim ob regnantem his in locis & vix evitabilem foeditatem, partim quoque ob putridas ulcerum, gangrænarum &c. exhalationes, & alia ex parte ob deficientem aeris liberioris acceſſum. Stagnans enim ita materia perſpirabilis putreſcit & qua fermentum ſana hucusque corpora inficit & corrumpit. Accedunt cauſæ aliæ, diæta nimirum incongrua, ut cibus mere animalis exſiccatus, ſalſus, vel putreſcens, potus mere aquoſus, aer calidus & humidus &c. Quam pernicioſos autem exerat cumulata, ſtagnans & putreſcens perſpirabilis materia effectus, ſatis teſtantur triſtiſſima illa exempla quæ Anglia a. 1577., & nuperius, anno nimirum huius ſeculi quinquageſimo vidit. Cum enim ibi rei, antea in carcere aere libero non perflato detenti, in forum judicii deducerentur, putridi ex iis nati vapores, multos judicii aſſeſſores, multosque adſtantium febre

bre putrida correptos confecere (*s*): & ex 146 hominibus in anguſto carcere Calcuttæ incluſis, 123 una in nocte ob liberioris aeris penuriam vitam cum morte permutarunt (*t*), ſine omni dubio propter putridam aeris corruptelam, ortamque inde febrem putridam vehementiſſimam, quod ex ſymptomatibus l. c. enarratis colligere licet. Multa alia ſi opus eſſet, & aeque fere pernicioſa adducere poſſem exempla, noxarum e ſtagnante & vaporibus repleto aere oriundarum; qui tamen plura ſcire cupit adeat inter alios Ill. PRINGLE cap. cit. Sunt hæ procul dubio præcipuæ febris putridæ ſimplicis cauſæ, at omnia alia, quæ putredinem in corpore animali ciere valent (§. II. enarrata), ad cauſas quidem febrium putridarum quoque pertinent, cum autem rarius modo recenſitis occurrant, liceat mihi ulteriore illorum illuſtratione nunc ſuperſedere. Contemplandæ ideo nunc veniunt febres putridæ complicatæ. Conjunctos autem habere poſſunt α) *Catarrhos*. Hæc febris putridæ ſpecies omnibus ferme autoribus catarrhalium malignarum venit nomine, etſi hic quoque malignitatis vox multæ ſit obnoxia ambiguitati. Verus quidem, ſuisque ex cauſis oriundus catarrhus, ſimul cum putrida febre adeſſe poteſt, at ſæpius ſimulacra ſolum catarrhalia, catarrhum mentientia adſunt, & malignitatis ſignis merito adnumerantur. β) *Inflammationes varias*, anginam nempe, pleuritidem, peripneumo-

s) Vid. PRINGLE *Obſervat. on the Diſeaſes of the Army.* P. III. C. 7.

t) Conf. Illuſtr. ZIMMERMANN *von der Erfahrung* 2. Theil p. 181 ſqq.

moniam & alias. In his febribus, licet alia veræ putredinis ſigna adſint, nihilominus ſanguis, cum e tuſa vena educitur, cruſta, inflammatoriam referente, obductus ſæpius reperitur, minus tamen denſa ac in ſimplici inflammatione, pellucida & ubi major fuerit putredo variegata ſæpe. Ut omnis febris putridæ indolis periculo plena eſt, ita putridæ inflammatoriæ reliquis plerumque multo ſunt periculoſiores, partim ob malignitatem cum iis ſæpiſſime conjunctam, partim inde, quod inflammatio remedia ſæpius poſtulet a putredine contraindicata, ut v. c. venæſectionem, temperantia &c., & putredo medicamenta requirat quæ inflammatio non admittit, ut v. c. corticem peruvianum, cardiaca, diaphoretica &c., partim quoque ob magis probabilem, propter magnam humorum acrimoniam & a ſano ſtatu receſſum, gangrænæ metum. Solet pulſus major eſſe duriorque ac in aliis febribus putridis non inflammatoriis. SYDENHAM, HUXHAM, SAUVAGES, TISSOT, CLIFT. WINTRINGHAM, aliique optimæ notæ autores febrium putridarum cum inflammationibus complicatarum meminerunt *(u)*, quas partim bilioſarum, vel etiam malignarum & continentium putridarum nomine inſignivere. γ) *Exanthemata varia*, variolas puta, morbillos, ſcarlatinas maculas, purpuram, petechias & alia. Variolæ & morbilli in tali etiam complicatione proprio contagio originem nunquam non debent, petechiæ a ſola ſanguinis oriuntur diſſolutione, unde

u) Conf. *etiam* T. G. G. DE PREVAL *theſin medicam*, *Ergo peripneumoniæ putridæ vomitoria Par.* 1752. *&* DARLUC *in Indiculo morborum epidemic. in* VANDERMONDE *Recueil periodique &c.* T. VII. P. 55 ſqq.

unde in febris decurſu apparere primum ſolent. Ubi tamen putrida febris ſcorbuto ſupervenerit, ante febris initium adeſſe iam poſſunt, nam in vehementiori ſcorbuto hæc exanthemata haud prorſus inſolemnia ſunt, licet morbus ſine omni fuerit febre. Variolæ & morbilli febri, vel his etiam febris putrida ſupervenire poteſt. In variolis febris ſecundaria vel ſuppuratoria putrida haud raro fit, ob abſorptum humoresque colliquans pus. Ceterum ſi febris putrida ante variolas aut morbillos, vel ſimul cum ipſis oritur, aliis ſibique propriis adſcribenda erit cauſis. Purpura rubra melior eſſe in his febribus ſolet & critica, alba autem pejoris ſemper indolis minusque critica eſt, & vix unquam occurrit niſi adſint quoque malignitatis indicia. Bubones & anthraces in peſtilentia vera aliisque peſſimis febribus putridis ſolum occurrunt & exanthematibus vix adnumerari poſſe videntur, cum metaſtaſes ad glandulas, vel ad cutis ſubſtantiam & ſubjacentes partes (*w*), potius ſint quam cutis efflorescentiæ. Quo major diverſi generis exanthematum complicatio, eo periculoſior ſemper evadit morbus. Febrium putridarum cum exanthematibus complicatarum exempla videre eſt apud SYDENHAM, DE HAEN, HUXHAM, PLENCIZ, & alios.

δ) *Dyſenteriam.* Hæc ubi putridæ fuerit indolis, easdem agnoſcere videtur cauſas ac ipſa febris putrida, cur autem in altero caſu vis morbi in inteſtina potius agat, in altero in univerſum corpus, explicare neſcio. In noſocomiis autem, caſtris, & alibi ubi aegrorum dyſenteria laborantium adeſt copia, putridæ fæcum exhalationes febrem dyſentericam putridam ciere facile poſſunt. Obſtru-

w) Conf. Illuſtr. v. HALLER *Elem. phyſiolog.* T. I. p. 37.

Obſtructo etiam adſtringentibus alvi fluxu, materia morbifica in humorum maſſam univerſalem recipi & ita peſſimi moris febres producere poterit. Exempla leges dyſenteriæ cum febre putrida complicatæ apud Degnerum, Pringle, Zimmermannum & alios. Sed complicatæ etiam eſſe poſſunt febres putridæ ε) *cum febribus alius indolis*, biliofis nimirum, inflammatoriis & nervoſis. Quum ſuperius (§. ſc. VI.) autem quid ſit febris bilioſa oſtenderim, ſignaque abundantis & corruptæ bilis expoſuerim, vix opus erit fuſius de his hoc loco diſſerere. Febrem vehementem in §. II. cauſis putredinis in corpore animali accenſuimus. Cum autem inflammatoria febris vehemens eſſe, aut quoque varios per errores talis reddi queat, facile concipere eſt quomodo putrida huic ſupervenire poſſit. Meminit etiam Cel. Huxham (x), complicationis lentæ nervoſæ cum febre putrida, tali autem in caſu hæc forte ſemper vere maligna evadit.

§. VIII.

Sunt autem 2) putridæ febres vel *continentes* vel *continuæ remittentes*. Continentes, ſive συνόχους, dico quæ aegrum ſine ulla, vel cum vix percipienda affligunt remiſſione. Continuas autem remittentes, vel συνεχεῖς, voco, quæ remittunt quidem a vehementia ſua, at plenam tamen haud ſiſtunt intermiſſionem. Non unius tamen ejusdemque ſunt typi continuæ hæ remittentes putridæ, habent enim aliæ exacerbationes quotidianas, aliæ tertianas, aliæ tertianas duplicatas, nonnullæ

x) Conf. *ejus Diſſertat. de febre lenta nervoſa.*

nullæ & quartanas. Reperiuntur etiam febres intermittentes, quas haud inepte forte ad putridas retuleris. Sic febres illæ cum dejectione multa ſubcruenta, quas ideo TORTI etiam ſubcruentas dixit, huc pertinere videntur. Quod tamen ut clarius pateat, liceat ipſius verba hujus febris indolem eleganter exprimentia hic inſerere. Dicit autem: *ſolet ergo nonnunquam vel invadente vel etiam declinante acceſſione ſuboriri placida quædam frequensque ac copioſa dejectio, quæ intra paucas horas nullo fere ſenſibili aegrotantis incommodo ad magnam molem & pondus increſcit. Materia iſta plane ſeroſa videtur ſed ſubcruenta, aegrumque, primo nil tale timente, brevi deducit ad ſummam virium imbecillitatem cum pulſu minuto ac exili & extremorum notabili perfrigeratione. Vox attenuatur nonnihil, oculique concamerationem contrahunt. Ceterum ſitis non moleſtat, mens eſt vegeta, nec de alia re conqueritur patiens, niſi de ſumma virium proſtratione ac proclivitate in lypothymiam, quæ facile quoque ſi e lecto ſurgere velit ſolet ſuccedere* (y). Hæcce ſymptomata vix probabilius ex alia deduxeris cauſa, ac ex humorum colliquatione putrida, ſola mens vegetior a communi ſignorum putredinis norma recedit. Alia ſpecies febris intermittentis putridæ oritur ex corruptione purulenta viſceris cujusdam ab abſorpto nimirum pure & colliquatis inde humoribus, hinc in phthiſicis præprimis frequens. Hujus faciunt mentionem TORTI, (z) & WERLHOF (a). Cel. FR. CAS. MEDICUS dedit hiſtoriam febris intermittentis, cum dejectionibus vehe-

y) In *Therapeut. ſpecial.* P. 174.
z) Conf. *Therapeut. ſpecial.*
a) Conf. *Obſervat. de Febribus.*

vehementer foetidis & frequentibus complicatæ *(b)*, & aliæ magis adhuc putridæ meminit, cui vehemens ptyaliſmus, & petechiæ juncta erant *(c)*, & dein ſectis cadaveribus, a febribus cum dejectione illa interemtorum, ſe magnam partium internarum corruptionem offendiſſe docet *(d)*, quo confirmatur haſce febres ex claſſe putridarum fuiſſe. Sanguineæ autem illæ deiectionis cauſam habet, bilem acrem & humorum diſſolutionem putridam *(e)*. At perniciofiſſimæ illæ febres ſoporoſæ ad intermittentes putridas merito etiam referri poſſe videntur. Docet enim Ill. Werlhof *(f)* urinam craſſam coloris intenſi, ſubfuſci, lixivii, & in quibusdam in nigredinem vergentis, valde foetentem, cum innatante pinguedine aliqua, haſce febres nuntiaſſe: ſanguinemque vena ſecta eductum floridum repertum eſſe cum copioſo ſeroărideſcente, eumque interdum variegatos colores oſtendere; & ubi cauſas harum febrium recenſet *(g)*, illarum plurimas eius indolis eſſe quæ putredinem ciere valeant, nemo facile inficias ibit, dicit enim *(h)*, *Enaſci poteſt hoc præcipue malum, ubi corpus ſenile eſt, ubi quod ex cholerico melancholicum eſſe, vel ſcorbuto calido laborare dixeris, bilioſum ſimul, & ſuccis craſſis, acribus & ad putredinem vaporiferam*

b) *Sammlung von Beobachtungen aus der Artzney Wiſſenſchaft* 1. Buch p. 63.

c) *In libr. cit.* §. 30.

d) Conf. 2. Buch §. 70. p. 138 ſqq.

e) *In ejusd. libr.* §. 73. p. 146 ſqq.

f) *In Obſerv. de febribus* Sect. I. §. VI. p. 22 & 23.

g) Conf. §. VII. Sect. I.

h) Pag. 26.

riſeram pronis plenum &c. Ex quibus omnibus patet, humorum in putridum vergentem conſtitutionem vel ſociam ſaltem eſſe harum febrium cauſam.

§. IX.

Dividi 3) poterunt putridæ febres in *ſporadicas* & *epidemicas.* Sporadicæ oriuntur α) *Ex vitio viſceris cuiusdam ſingulari.* Sic viſceris corruptio quælibet, ſi abſorbetur materia acris, purulenta, corrupta, febri putridæ anſam præbere poteſt. Viſceris iſtiusmodi vitium, ſeſe utplurimum aliis ſibique propriis ſignis manifeſtare ſimul ſolet, at interdum id ſuſpicari ſolum licet ex ſubito febris ortu ſine alia apparente cauſa prægrediente. Sic hyeme proxime elapſa virginem vidi Wehndæ peticulis ſubito correptam, cum magna laſſitudine, febre parva, lingua impura, vomitu bilioſo virideſcente, animi magna deiectione, aliisque febris putridæ licet mitioris ſignis. Aderat nulla apparens putredinis cauſa. Aer cum coelo ſereno frigidus, diæta bona, maximam partem vegetabilis quam ſervaverat aegra, cum regimine juſto, vaporum putridorum defectus &c. febrem putridam nullo modo admittere poſſe videbantur. Nullus inſuper alius, tunc temporis graſſabatur morbus putridus. Gaviſa erat virgo bona ſatis ante febris acceſſum valetudine, ſi tuſſim, qua a primis ferme incunabulis laboraverat, excipias; de nullo tamen, nec in pectore, nec in alia corporis parte, antea conqueſta erat dolore. Corripiebatur ſubito, ſine ulla alia prægreſſa aegritudine, tumore unius pedis, cum ſenſu quodam dolorifico, & parvo rubore; hunc, elapſis horis aliquot, ſequebantur maculæ in crure pedis affecti, rubicundæ primum, illas-

illasque mentientes quas pulex morſu gignit, mox autem fuſcæ & confluentes, ſic ut totum externum præcipue cruris latus, plumbei fere eſſet coloris & contuſum quaſi videretur. Paulo poſt alter quoque tumere coepit pes, eodem ac primus modo, tumor deinde manus prehendit, & ultimo faciem. Nunc in lacertis etiam illæ apparere incipiebant maculæ, & brachia cum manibus introrſum ſpasmodice cum multo contrahebantur dolore. Palpebræ dein fuſcæ fiebant, at maculæ purpureæ mox totam hinc illinc obſidebant faciem. Veſiculæ nonnullæ ſeſe ſparſim per totum attollebant corpus, tenuem ſubcruentamque lympham fundentes. Dejectio quoad numerum erat naturalis, pulſus vehementer inordinatus, nunc perparvus & alio iterum tempore ſatis magnus, at nunquam durus. In ſtatu morbi urina ſedimentum deponebat purulentum. Curavit puellam Illuſtr. Præſes, & illam evacuantium, antiſpasmodicorum & antiſepticorum præcipue ope, feliciter iterum ad ſanitatem perduxit. Remanebat ſuperato morbo debilitas, & pedum oedematoſus tumor aliquis, quæ tamen gradatim, exhibito cortice Peruviano, evanuere, optime hodie valente puella: tuſſis illam quidem interdum adhuc vexat at minori ac ante morbum ferocia. Febrem hancce vix pro alia ac pro putrida, ex labe viſceris cujusdam orta, habere poſſumus, quamvis præter tuſſim nullis aliis ſeſe manifeſtaverit ſignis, omnis enim alia nos fugit huius febris cauſa. β) *Ex conſtitutione ſcorbutica.* Etſi enim ſcorbutus ad morbos febriles non pertineat, nihilominus cum magnum attigerit gradum fortiſſima cum eo conjuncta humorum diſſolutio febrem ciere poteſt, ſæpeque re vera ciet, quam

putridam eſſe nemo facile in dubium vocabit. γ) *Commiſſa regiminis diætæve vitia.* Huc ſpectant corporis motus nimius, ſumma præcipue aeſtate, animi pathemata fortiora, vel diuturniora, carnium abuſus, victus putreſcens, inedia &c. Sed de his omnibus fuſius in §. II., ubi de cauſis putredinis in corpore animali dictum eſt, egimus. δ) *Inepta curatio.* Ad hanc ſectionem pertinent mercurius ante morbos febriles diu nimis vel inepta doſi exhibitus, abuſus ſalium, medicamentorum terreorum &c. de quibus confer §. II. Epidemicæ autem febres putridæ ſunt multæ, quæ aliquando ſub nomine febrium catarrhalium malignarum, petechialium, petechizantium, peſtilentialium, nauticarum, carcerum, noſocomiorum, billioſarumque occurrunt, & quæ interdum ſimpliciores, interdum cum aliis affectionibus, aliisve febrium generibus complicata ſunt. Epidemicæ fere ſemper ex vaporibus putridis oriuntur; accedente aeris intemperie calida & humida.

§. X.

Differunt autem febres putridæ 4) *ex occulta quadam corporum conſtitutione, morbive epidemici genio abscondito;* nunc enim ad petechias vergunt, aliave exanthemata, & alio iterum tempore, ad hæmorrhagias vehementes periculoſas, vel etiam ad gangrænas variarum corporis partium brevi concipiendas inclinant. Petechiæ quidem utplurimum in febribus putridis, aeque ſimplicibus ac bilioſis, cum majorem morbus gradum, aſſecutus fuerit apparere ſolent. Sanguinis enim craſi per morbi vim diſſoluta, humor hicce facile in varia cutis celluloſa ſpatia (*i*), vel ſecundum Ill. PRING-

LE

i) Conf. Ill. v. HALLER. *Element. phyſiol.* T. I. p. 37.

LE (*k*), ſerum ſanguine tinctum in cryptas vel cellulas cutis penetrat, per cuticulam pellucidam perlucet & petechias ita dictas conſtituit. Non tamen aeque frequens in omni febre putrida hoc exanthematum genus eſt, eam forte ob cauſam, quod aliquando mitior morbi epidemici genius, tantam humorum diſſolutionem efficere nequeat, quum ferocior eam facilius, certius, citiusque gignat. Habemus exempla erumpentium jam primo vel ſecundo a decubitu aegri die petechiarum (*l*), cum alias maximam partem poſt quartam demum (*m*), vel ſecundum Cel. HUXHAM (*n*), inter ſextum & undecimum diem erumpere ſoleant. Forſitan & major ſolidorum laxitas, & varia putredinis humorum natura aut aliæ nobis adhuc ignotæ cauſæ facere poſſunt, ut in uno facilius appareant aegro, ac in alio. Invaluit autem mos illas febres in quibus interdum quidem, at rarius occurrunt petechiæ, petechizantes dicere, illas autem in quibus maximam partem reperiuntur, petechiales. At alia etiam exanthemata, partim critica, partim minus, his nonnumquam ſuperveniunt febribus, petechiis tamen minus ſunt frequentia. Obſervavit ita cel. HUXHAM eruptionem eryſipelaceam vel puſtularem multis aegris angina putrida laborantibus accidiſſe (*o*). Cl. STÖRCK exanthematum miliarium febri putridæ poſt ſeptimum diem

k) Conf. *Appendix to the Obſerv. on Army Diſeaſes.* p. CVI.
l) Conf. PHIL. GOBBI *Diſſ. Hiſtoriam & curam epid. febris amplectens in* HALLERI *coll. Diſſ Med. Pract.* Tom. VIII.
m) PRINGLE *Obſervat. on Army Diſeaſes.* p. 303.
n) *Obſerv. de Aere & morb. epid.* Tom. 2 p. 45.
o) Conf. *Diſſertat. on the ulcerous ſore throat, annex'd to the Eſſay on Fevers.* p. 282.

diem ſupervenientium mentionem fecit, licet & in hac febre petechialia ſimul apparere ſolebant (*p*). Cl. Hasenöhrl maculas grate rubras & criticas quarto vel ſeptimo die in febre putrida vidit erumpentes (*q*). Febris putridæ, in qua efflorеſcebant in foeminis purpura, in puerperis ſola rubra, in reliquis indiſcriminatim alba & rubra, in potiori autem ſexu petechiæ, dedit hiſtoriam. Cl. Weitbrecht (*r*). Cl. Duhamel de febre continua putrida refert in qua nonnullis eruptiones herpeti ſimiles in abdomine obortæ ſunt (*s*). Cel. Huxham febrem obſervavit putridam malignam ſæpe cum maculis parvis obſcuris vel ſubatris, interdum cum luridis papulis per totum corporis habitum erumpentibus, interdum quoque puſtulæ largæ erodentes illam comitabantur (*t*). Alias etiam obſervavit vir cl. puſtulas de quibus liceat ipſius verba proferre. *Iam nunc quoque* (morbi nempe ſtatu) *interdum maximum attulit levamen larga puſtularum eruptio more veluti variolarum quæ tamen nil niſi tenuem & acrem ichorem continebant; erumpebant etiam aliquando multo minores, at urentes admodum quæ vero in ſquamas mox abirent: ſalutiferæ quoque & hæ. In quibusdam peralbas quasdam & latas maculas notavi, parum eminentes quaſi ex urticæ morſu, hæ*

p) Conf. *Anni medici I. Vindob. 1760. edit.* p. 48 ſq.

q) Conf. *Hiſtor. med. febris petechial. quæ ab a. 1757. ad a. 1759. Viennæ graſſata eſt.*

r) *De febrili Conſtitut. petechizante, Petropoli 1735. graſſante;* in Halleri *Collect. Diſſert. Med. Pract.* T. V.

s) Vid. *Memoires de l'acad. Royale des ſciences de Paris de l'an 1747.*

t) Vid. *ejus Obſerv. de aere & morb. epid. Vol. alter.* p. 137.

hæ vero difficilis indicii (*u*). Interdum, at rarius, occurrunt epidemiæ in quibus omni fere aegro ſanguis fuſe, nec ſine inanitionis metu ex naribus fertur. Ita Cl. DUHAMEL notavit febrem continuam putridam, cui nono aut undecimo die ſæpius acceſſit ſanguinis per nares nullo modo compeſcendum effluvium, quod die duodecimo aut decimo quarto lethale eſſe conſuevit (*w*). Deſcripſit cl. DARLUC febrem, quæ, cum eryſipelas faciei illam comitari ſolitum ſit, ad exanthematicas quidem pertinere quoque videtur, at in qua etiam nonnullis aegrorum gravior narium acceſſit hæmorrhagia (*x*). Febrium putridarum gangrænoſarum plures habemus obſervationes. Ita variolas putridas gangrænoſas obſervarunt inter alios SYDENHAM (*y*), & HUXHAM (*z*). Cel. ZIMMERMANN exemplum refert dyſenteriæ putridæ febrilis, cui crurum gangræna accedere ſolebat, Flandriæ a. 1673 in turmam equitum ſævientis (*a*). Contemplanda etiam hic potiſſimum venit febris putrida cum angina gangrænoſa conjuncta, quippe quæ variis temporibus multisque in locis epidemice graſſata eſt & permultos confecit (*b*). De febre acuta militis, cui naſus,

u) Vide *libr. cit.* p. 46.

w) In *Memoires de l' acad. Royale des ſciences de l' an.* 1747.

x) Conf. *Indiculum morbor. epidem. &c. in* VANDERMONDE *recueil period. d' obſervat. de medec.* T. VII. p. 55 ſqq.

y) Conf. *Opp.* Tom. I. p. 124.

z) *Obſerv. de aere & morb. epid.* Vol. 2. p. 122.

a) *Von der Ruhr.* X. Cap. p. 341.

b) *De pernicioſa hujus gangrænoſæ anginæ ſpecie* Conf. MALOUIN *hiſtor. morbor. epidemicor. Paris* 1746. *obſerv. in Memoire de l' acade-*

naſus, palpebræ, labia, lingua, & ungues tertio morbi die prorſus denigratæ fuerunt, aegro ſumma anxietate, ſummisque doloribus hypochondrii dextri divexato, & poſtridie mortuo, obſervationem habet cl. LENTIN (c). In febribus & diarrhoeis ſæpe vidit cel. BALDINGER gangrænam in apice naſi incipientem, ad oculos dein & genas brevi diffuſam, morte horis quinque vel ſex iam ſubſequente (d).

§. XI.

Ultima denique febrium putridarum diviſio illas 5) diſpeſcit in *primarias* & *ſecundarias*. Prioris ſunt generis pleræque febres putridæ epidemicæ, poſterioris autem vel ſymptomaticæ, vel ſupervenientibus accidentalibus cauſis excitatæ. Pro ſymptomaticis haberi poterunt illæ febres quæ ab exulceratione cuiusdam corporis partis originem ducunt, & phthiſicæ plerisque audiunt; abſorptum enim in tali caſu pus humores colliquat & ideo in putredinem vergere facit, hinc febris ſecundaria vel ſuppuratoria variolarum referenda huc etiam erit, quippe quæ ex eadem potiſſimum oriri videtur cauſa. Miasma venereum cum humores vehementer corrumpat, febrem putridam ſymptomaticam ciere etiam poteſt. Febres autem putridas ex accidenti ſuper-

l'academie Royale des Sciences de L'an. 1746. & CHOMEL *Diſſ. hiſtorique ſur l'espece de mal de Gorge gangreneux Par. 1749.* & GARNIER *Quæſt. med. An anginæ gangrænoſæ emeticum. Par. 1750.*

c) *Obſerv. med. Faſc. I. Obſ. X.*

d) *Von den Krankheiten einer Armee.* p. 264.

pervenientes dico, quæ ex regiminis, diætæ, curationisve vitiis fiunt.

§. XII.

Aſt abſolutis putridarum febrium diviſionibus, ſupereſt ut de illarum contagio & curatione pauciſſimis verbis nonnulla ſuperaddam. Contagium videtur eſſe ſubtile quid, quod vi pollet corporis humores, ſi iis applicatur in materiam ſibi ſimilem convertere. Hoc, ab aegrorum corporibus, circa morbi ſtatum præcipue, avolans, per pulmones & inhalantia cutis vaſa in corpus ad infectionem diſpoſitum receptum, gradatim in fluida animalia fermenti modo agere videtur, donec ſufficiente ipſorum quantitate in ſimilem maſſam converſa, eundem demum producat morbum ac ille fuerat, a quo originem duxerat. Antiquior hæc eſt & maxime forte recepta de contagio theoria. Contra hanc autem pugnant Ill. CAR. A LINNE (*e*), & cel. PLENCITZ, (*f*), qui, & præcipue quidem cel. PLENCITZ, omne contagium animalculis deberi credunt, ſuamque opinionem permultis, haud levioris quidem notæ, argumentis defendunt. At multum etiam in adverſam partem dici poterit. Dum igitur lis adhuc ſub iudice eſt, optimum erit exſpectare, donec una alterave opinio ulterioribus comprobata fuerit experimentis. Videntur tamen inſecta effectus potius eſſe contagii quam ipſius cauſae, ſi enim ea pro cauſis habere velis, aeque juſtum

e) Conf. *ejusd Diſſ. Exanthemata viva dictam reſp.* I. C. NYANDER *Upſal.* 1757 & *Noxa Inſectorum Reſp.* M. A. BAECKNER 1752 *habitam.*

f) Conf. *ejus Opp. phyſico medic. Tract. I. de Contagio.*

juſtum foret ſecundum Autorum argumenta omnem putredinem, omnemque unius fluidi in aliud mutationem, quam fermentationis ope hucusque; modo non omnes fieri credidere, ab inſectis etiam derivare, quæ tamen opinio, parum præ ſe ferre videtur probabilitatis. Neque etiam ipſæ a laudatis autoribus adductæ rationes tanti videntur eſſe ponderis, ut ad dimittendam alteram magis receptam ſententiam attentum verique ſtudioſum lectorem facile movere queant. At manum de tabula, ſcopus non admittit, vires non ſufficiunt meæ, ut fuſius in hanc rem inquiram, ut judicem, cuinam harum opinionum debeatur laurus. Id ſolum addo unum morbum magis contagioſum eſſe altero. Scabies v. c. mero attactu propagatur, lues venerea vix aliter ac per partes genitales, mammas, labia, aliamve partem tenuiſſima cuticula obductam. Variolæ autem, febres putridæ plures, dyſenteriæ, per ſolum halitum ſana corpora, ad recipiendum contagium apta inficiunt. Febres putridæ ſporadicæ non facile ſunt contagioſæ, nec ſymptomaticæ, niſi morbus ipſe cui accedunt contagioſus fuerit. Omnium maxime contagioſus morbus peſtis eſt, cuius etiam diu latere poteſt miasma, & nihilominus dein priſtina vi agere, vehementiſſimosque exſerere effectus.

§. XIII.

Dum autem curam putridarum intuemur apparere primum incipit inſignis utilitas & neceſſitas exacte cognitorum diſcriminum quæ haſce febres intercedunt. Omnino enim non poterit evitari error in curationis methodo, niſi putridas ſimplices a complicatis, præcipue a putridis bilioſis rite diſtinxeris. Dilucidari autem inde pote-

poterunt perpetua & ingentia illa ſententiarum divortia, cur multi in putridis febribus evacuantia neceſſaria, & alii iterum eadem valde noxia, ambo ex propria obſervatione habuerint. Ill. DE HAEN dubia adverſus evacuantium uſum in malignis, quæ ex minus perpetua illorum in his morbis utilitate collegit (*g*), commode forſitan hinc ſolvi queunt, quum adductæ illius obſervationes diverſi generis febres omnino ſiſtere videantur, in quarum aliis fauſtum & exoptatum, in aliis adverſum noxiumque effectum evacuantia præſtiterint; minimeque mirum, ſub ampliſſimo malignarum genere, voce ad ill. Viri mentem uſurpata, quam plurimas acutas reperiri in quibus emetica & purgantia, præſertim ſine juſta cautione exhibita, variam facile noxam afferre potuerunt. Etenim quam facillime nocere utique poſſunt evacuantia in febribus putridis ſimplicibus, pariter ac in nervoſis lentis, ſimpliciterque inflammatoriis: optimæ autem ſunt utilitatis, juſtas ſecundum cautiones exhibita, immo ad felicem medelam ſæpe maxime neceſſaria, in putridis bilioſis, etiam magis ac ubi putrida diatheſis in bilioſis defecerit; in iis enim ſi bilioſa illa & corrupta relinquitur colluvies, paulatim in humorum recipitur maſſam, eosque inquinat, præſertim ſi cortex peruvianus aliave antiſeptica calidiora, vel diaphoretica aegro ſimul propinentur, neque diæta antiphlogiſtica & antiſeptica ſollicite obſervetur. Hæc ipſa autem propoſita febrium putridarum diſcrimina, ut optime confirmari videntur obſervatis aliorum, qui talibus in morbis ſub variis conditionibus, emetica & purgantia nunc proficua, nunc vero noxia, propria ducti experientia declararunt, HIPPOCRATIS, GALENI, FERNELII, SYDENHAMI, BAGLI-

g) Conf. *Rat. med.* T. III. C. I.

Baglivii, Boerhaavii, Fr. Hoffmanni, Meadii, Brendelii, Huxhamii, Pringlii, Glassii, Tissoti & plurium; ſic & eadem ſi accurate perſpecta habeantur, quam maxime inſerviunt melius intelligendis, certioremque in uſum proprium vertendis aliorum obſervatis monitisque practicis etiam ſpecialiſſimis. Facilius quoque præterea ex hiſce febrium putridarum diviſionibus diiudicari poterit, quando in putridis febribus venæſectio locum habeat, quandoque nociva ſit, ubi porro acida vegetabilia, ubi ſpiritus vitrioli potius proſit, ubi cortex vel ſolus, vel cum acidis, vel cum evacuantibus conjunctus, ubi camphora, ubi diaphoretica, ubi veſicantia, ubi demum regimem frigidius vel paulo calidius, & quænam in omnibus cautiones requirantur.

§. XIV.

Atque his nunc pro virium tenuitate expoſitis, quæ B. L. aequi bonique conſulat, propoſito noſtro, quantum anguſtiores ſinunt diſſertationis academicæ limites, nos quodammodo ſatisfeciſſe exiſtimamus.

PRAENOBILISSIMO ET AESTUMATISSIMO

SUO

AUGUSTO EBERHARDO BRANDE

S. P. D.

PRAESES.

Habeo utique, mi præſtantiſſime BRANDE, *quod Tibi magis de optimis animi virtutibus & ornamentis eximiis, quibus lauream doctoralem, applaudente Medicorum ordine, promeruiſti, gratuler, quam de ipſis, quorum illa Te compotem reddet, ſummis honoribus. Sane, ex quo tempore Tibi libuit me duce in excolenda Tua doctrina uti, ſingulari ſemper voluptati mihi fuere, tum perpetua illa Tua induſtria & alacritas indefeſſa ad exacte percipienda quælibet artis exercitio aliquando inſervitura monita, tum quoque, cum frequentiori inter nos conſuetudini anſam præberent exercitia noſtra clinica, propius cognita & perſpecta ſumme laudabilis animi Tui ea indoles, quæ rectis ſolum & honeſtis delectari poſſit, & ingenii talis dexteritas, quæ doctrinarum etiam difficultates brevi atque feliciter eluctari Tibi permiſerit. Quam & ideo minus dubiam de ſolidiori Tua eruditione conceperam ſpem, quum ad elaborandum inaugurale profectuum ſpecimen animum converteres, eandem quoque præſente hac de materia difficiliori tractatione accurate conſcripta ex voto expleviſti. Quare igitur,*

quum,

quum, ad ſuſcipienda medentis officia tam bene præparatus, honores, quibus ordo noſter digniores exornare ſolet, ſummos iam conſequaris, non poſſum, quin toto & integerrimo ex pectore illos Tibi fauſtiſſimos exoptem, benigniſſimum quoque Numen precatus, velit ſalvum Te ſoſpitemque ad patrios reducere Lares, atque fortunatiſſimos ad ultimam aetatem Tibi largiri ſalutarium quorumvis conſiliorum ſucceſſus. Vale, benevolamque mei memoriam Tibi & in poſterum habe quam commendatiſſimam.

Scribebam die x. *Aug.* CIↃIↃCCLXVIII.